



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**In Canonem Sacrificii Missae, Vti & reliquas eiusdem  
Partes Brevis Ac Lvcvlenta, & ad pietatem vtilis Expositio**

**Veken, Frans van der**

**Coloniae, 1644**

§ 10. De Oratione, Suscipe Sancta Trinitas

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9878**

Psalmi memorati additur: *Gloria Patri, &c.*

## §. X.

*De Oratione, Suscipe Sancta  
Trinitas.*

**P**ost oblationem pro peccatis, in qua haecenus ferè versati, sequitur oblatio Eucharistica, pro immensis in nos collatis beneficijs, ac imprimis redemptionis nostræ, quæ per tria mysteria compendio adumbratur. Primum est Christi passio, ut causa meritoria nostræ salutis: alterum eius Resurrectio tanquam nostræ aliquando futuræ exemplar: tertium eiusdem Adscensio, qua Dominus noster *a contriuit portas areas, & vectes ferreos confregit, atq; ita ministravit nobis introitum in æternum regnum.* Ob horum igitur *memoriam,* non nudam & ieiunam, sed quæ intimæ gratitudinis affectum includat, Sacrificium offerimus. Nec ob illam

*a Psal. 106.*



lam tantum, verum etiam in honorem *B. MARIÆ* semper *Virginis*, & *S. Ioannis Baptiste*, & *Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli*, & *istorum* (quorum reliquæ in Altari quiescunt) & *omnium Sanctorum*. Quibus verbis ad beneficia ipsis quoque Cœlitibus collata gratitudine extendimus. Teste enim Tridentino *a*, eam ob causam, in honorem & memoriam *Sanctorum*, non ipsis quidem, sed *DEO* soli Sacrificium offerimus, *ut Deo de illorum victorijs gratias agentes, eorum patrocinia imploremus: Utq; ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.* Quæ postrema verba ex hac Missæ precatatione in tertium caput suæ de eadem doctrinæ Concilium ante laudatum transscripsit.

Sacerdos igitur in præsentis oratione totus in demississimam gratiarum

C 2

actio-

*a Sess. 22. c. 3.*



actionem intentus eo nomine gaudeat, quod diuino munere, infinitæ dignitatis nactus sit hostiam, quam pro immenso redemptionis beneficio Deo reddat, simul affectu benevolentissimo gratissimum illud in terris officium Cælitibus præstet, quod ipsi in cælis obire non possunt, lubentissimè tamen facerent, si status conditio Deiq; voluntas ita ferret: illud, inquam, officium, quo pro Dei erga eos miserationibus, quibus ipsos partim in mortali vita est prosecutus, partim in immortalis coronat, digna tandem gratiarum actio rependatur. Confidat quoque suis eos partibus haud defuturos, quibus pro Sacrificio, quod in eorum memoriam hîc offerimus, ipsi in cælis ante thronum Agni a orationum suarum incensum pro nostra salute re-  
 præsentent.

a Apoc. 5.

§. XI.